

omnium, et Doctores communiter, teste Abate ib. § *Vel saltem* n. 2 et 6. (26. Compromissum pro Electione potest fieri etiam in unum solum, quamvis ipse non sit de Collegio, arg. cap. *Causam 8, de Election.* ubi Moniales compromiserunt pro Electione Abbatis in Episcopum, qui erat solus, et non de Collegio. Glossa ib. verb. *Contulerint*, et Glossa communiter recepta in cit. c. *Quia propter*, verb. *Viris*. (27. Compromissum non potest fieri in Laicum; cap. *Contingit 8, de Arbitris*, cap. *Decernimus 2 de Judiciis*. (28. Unus compromissarius nequit eligere seipsum; arg. cap. *Cum ad nostram 7, de Instit.* ubi statuitur, quod nemo potest instituere semetipsum in Beneficium, addita ratione, « Cum inter dantem, et accipientem debeat distinctio personalis, » cap. *Per nostras 26, de Jure patronat.* ubi statuitur, quod nemo potest presentare seipsum ad Ecclesiam, etiam de suo Jure patronatus, ibi: « Nullus se potest ad Personatum alicujus Ecclesie presentare, quantumcumque idoneus sit. » Sic Glossa communiter recepta in cap. *Cum in Jure 33, de Election.* verb. *Ex se, vel aliis*. « Quia, dicit ipsa, Nemo debet oriri a se ipso, » cap. *In scripturis 9, caus. 8, q. 1, cum similibus*: (29. Si Compromissarii sint plures, possunt ii aliquem ex se ipsis eligere, quamvis in Compromisso id non sit expressum, dummodo non fuerit expresse prohibitum; sic Abbas cit. cap. *Cum in jure*, n. 4, ubi pro hac sententia allegat Innocent. Hostiens. et quasi communem aliorum, et hanc tenent novissime Pirhing. lib. 1. *Decretal.* tit. 6, n. 22. Reiffenstuel. ib. num. 99. Engel. num. 21. Sanigh. cap. 4, n. 24. Passer. cap. 22, de *Elect.* n. 4, et alii. (30. Compromittentes tenentur recipere electum a Compromissariis, c. *Causam 8, de Elect.* et communis Doctorum. (31. Dummodo tamen servata fuerit forma Compromissi, quia, si Compromissarii terminos potestatis sibi tradita non servaverint, non valet electio inde secuta, cap. *Cum dilectus 23, et cap. Cum in veteri 52, de Elect.* (32. Electio per Inspirationem est illa, quae fit per veram Dei revelationem, qualis inter alias fuit electio S. Nicolai, S. Ambrosii, et S. Severi, de quibus fit mentio in cap. *Statuimus 8, dist. 61*, ibi: « Beatus Nicolaus ex Laico electus est in Episcopum. Beatus Severus ex Lanificio assumptus est in Archiepiscopum. Beatus Ambrosius, cum nondum esset baptizatus, in Archiepiscopum est electus. » (33. Electio autem per quasi Inspirationem est illa, qua Electores omnes quasi per Inspirationem Spiritus Sancti concorditer moti, nullo praecedente tractatu, communiter uno corde, et ore in eundem consentiunt. Est in re communis, et habetur clare in c. cap. *Quia propter 42, de Election.* ibi: « Aliter Electio facta non valet, nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per Inspirationem absque vitio celebrata. (34. Ubi advertit, quod notanter ibi dicitur « absque vitio celebrata, » quia requiritur, ut talis Electio sine ullo vitio Simoniae, requisitionis, subornationis, et consensus extra Capitulum ante Electionem dati, atque ab omnibus, et singulis libere, et

concorditer uno corde, et ore consentientibus fiat, aliter non esset Electio quasi per Inspirationem celebrata, arg. cap. *Per inquisitionem 26, et cap. Post petitam 46, de Elect.* (35. Hinc electus ac clamore populi non debet per Superiorem confirmari, ut statuitur in cap. *Osius 2, de Election.* ibi: « Cum sit manifestum potuisse plures eorum, qui sinceram fidem non habent, praemio, et mercede corrumpi, ut clamarent in Ecclesia, et ipsum petere viderentur, omnino fraudes has damandas esse arbitror. » Unde, ubi subest suspicio fraudis, non est censenda Electio facta per quasi Inspirationem.

ADDITIONES EX ALIENA MANU

(36. Formam electionis a notissimo cap. *Quia propter, de Elect.* praescriptam, de qua agit Auctor a n. 20, locum non habere nisi quod Beneficia, ex quorum vacatione propriis Pastoribus viduatae remanet Ecclesiae, post alios firmavit Rousseud de la Combe in sua *Jurisprud. Canonica* verb. *Electio*, n. 10, et respondit Rota coram Caprar. decis. 538, n. 1, et dec. 593, pariter n. 1. (37. Quod vero concernit caetera Beneficia, nisi forma electionis determinata sit statuto, vel consuetudine Ecclesiae, de qua agitur, *sufficit*, ut inquit Rota cor. Caprar. dict. dec. 538, n. 2, « Consensus naturalis, sive verbis, sive factis explicatus, » et adamussim convenit cum mox dicta decis. 593, n. 2.

(38. In electione autem facienda servata forma dict. cap. *Quia propter*, is, qui a medietate capitularium electus est, nequit accedere electioni sui ipsius ad constituendam pluralitatem ipsorum capitularium; (39. potest vero accedere in impropria illa electione, in qua non est servanda forma, dict. c. *Quia propter*; Cardin. de Luc. de *Canonic.* discours. 26, n. 6, et seq. Optime Louvrex *Dissert. canonic.* 7, n. 44, et plur. sequent. ubi n. 43. « Ratio est (ait) quia vota secreta danda sunt, et ante publicatum scrutinium, et consequenter accessio publicato scrutinio facta nihil operari potest, non solum quia in formam, cap. *Quia propter* peccatum est, sed etiam quia se ipsum eligere videtur, qui dum ignorat, an alii ipsum electuri sunt, sibi ipsi votum dat, quod omnino prohibitum est, prout in terminis decisum reperitur in c. *Cum 5, de Elect.* quod tamen limitat Tondut. qu. *Benefic.* part. 1, c. 82, n. 7, nisi duo tantum supersint Canonici, quia quum forma cap. *Quia propter* non possit tunc servari, alter electioni per alterum de se factae accedere posset. Sed in electionibus, in quibus scrutinium formalitatesque illae non requiruntur, seu in quibus vota publice dantur, electus a medietate capituli electioni de se factae accedere non prohibetur. »

(40. Pariter in electione, in qua locum sibi vindicat forma c. *Quia propter*, post publicationem nequit major pars capituli accedere minori parti capituli, ut accedere indubie valet in electione, in qua non est necessaria forma cap. *Quia propter*. Louvrex dict. *dissertat. Canon.* 7, num. 49, et duob. sequent. Rot. cor. Caprar. dict. dec. 537, a num. 3, ad

fin. ubi n. 7, et duob. sequent. « Non obstat (inquit) quod electio a principio nulla non possit convalidari etc. tum quia procedit haec regula in electione facienda ad formam cap. *Quia propter* secus vero in electione impropria, quia quum ista perficiatur ex simplici consensu naturali, satis est quod iste capitulariter superveniat sive ex verbis, sive ex factis etc. tum etiam quia posito quod electio reconvalidetur vigore novi consensus, ex nunc non confirmatur quod nullum est, sed potius inducitur novus consensus electionis: » et d. decis. 593, pariter a n. 3, ad finem.

(41. Praeterea in electione, in qua locum habet forma cap. *Quia propter*, nequit extraneus de consensu capituli admitti ad eligendum, potest tamen in alia electione: Louvrex *Dissert. Can.* 6, num. 23.

(42. Ad haec in electione, quae fieri debet juxta cap. *Quia propter*, locum esse nequit compromisso limitato, potest vero esse locus in alia electione; Louvrex *Dissert. Canon.* 6, num. 16. Rot. in recent. decis. 312, num. 53, et sequent. part. 4, tom. 2. Limitatum autem compromissum dicitur, si (ut ait Louvrex loco citat. num. 16.) « ita compromissum sit, ut compromissarii vota singulorum scrutentur, et exquirant, illumque eligant, in quem major, et sanior pars capituli censerit. »

(43. Usum denique sortis in electione faciendi ad formam cap. *Quia propter*, prohibitum esse, non est quod dubitari possit, quum non alia admittatur forma, quam illa quae fit, vel per scrutinium, vel per compromissum, vel per inspirationem. (44. Accedit quod Honorius III, in hac electione faciendi ad formam, c. *Quia propter*, expressum vetuit usum sortis, ut perspicuum est ex c. *Ecclesia, de Sortileg.* Quaestionis vero est, an idem obtineat in aliis electionibus. (45. Quoad electiones, quae fieri dicuntur a Patronis laicis ubi jure Collegii presentant, scissi inter se sunt Doctores. Negant usum sortis esse prohibitum Piton. *Controvers. Patronor.* allegat. 10, a num. 4, ad plur. sequent. ubi n. 22. quod praesertim procedere debeat negativa haec opinio, in casu in quo per suffragia duo fuerunt electi, sed neutrius electio conclusa remansit ob reiteratam paritatem votorum. Rota in recent. dec. 439, n. 23, part. 19, tom. 2. Prohibitum vero esse usum sortis affirmant Fagnan. in c. *Quia propter* n. 2, de *Elect.* Passerin. de *Elect.* cap. 18, n. 8. Rot. cor. Ansal. decis. 95, n. 10, cor. Herr. decis. 94, num. 4. (46. At novissime idem sacrum Tribunal Rotae in Pampilonen. Abbatiae de Turre 22. Martii 1748, cor. Illustrissimo Clemente impress. Romae 1781, apud Barbiellini quaestionem in genere definire nequit, ut patet ex sequentibus verbis § 9. *Ut autem de hac quaestione sit*; sed ex peculiaribus ejus circumstantiis improbavit electionem a Patronis laicis per sortes factam.

ARTICULUS II.

Electio quoad illos, qui possunt, vel non, eligere et eligi.

(1. De Jure communi Jus eligendi Prae-

latum spectat ad Capitulum, seu Collegium, cujus Praelatus est eligendus; cap. *Nullus 1, cap. Cum terra 14, de Election.* cap. ult. caus. 16, quaest. 7, cum similibus. (2. Et hoc Jus diu in Ecclesia duravit, et etiam nunc in plerisque Ecclesiis, praesertim in Germania, ubi Collegium Canonicorum Cathedralium Episcopos, vel Archiepiscopos eligit, et electi a Romano Pontifice confirmantur. In aliis vero Regnis, ut in Gallia, Hispania, Lusitania, Polonia, etc., ipsi Reges ex privilegio Apostolico Episcopos nominant, et praesentant ab ipso Summo Pontifice instituendos: et in multis locis Italiae ipsemet Summus Pontifex nominat, et instituit, ex quo sibi reservaverit provisiones omnium Ecclesiarum Patriarchalium Archiepiscopalium, et Episcopalium in *Extravagant. Ad regimens, de Praebend.* et generaliter, et simpliciter soleat quilibet Summus Pontifex in initio sui Pontificatus talem reservationem facere quoad omnes Ecclesias vacantes, vel vacaturas, tam apud Sedem Apostolicam, quam extra Curiam, ut patet in 2 et 3, *Regula Cancellariae*, exceptis tamen supradictis Regnis, aliisque Privilegiatis per specialia concordata.

(3. Jus eligendi Praelatum, quamvis ex dictis de Jure communi competat ad Capitulum, seu Collegium, cujus Praelatus est eligendus, potest tamen, tum ex privilegio, tum ex consuetudine legitime praescripta, acquiri etiam ab aliis Clericis extraneis, cap. *Cum Dilectus 8, de Consuetudine*, et cap. *Cumana 50, de Election.* et Communis Doctorum. (4. Immo possunt ipsimet Capitulares, seu Collegiales Electores de communi omnium consensu communicare Clericis extraneis facultatem eligendi, sive secum coeligendi. Possunt enim Electores totam potestatem eligendi transferre in Compromissarios, etiam extraneos, ut cap. *Causam 8, cap. In causis 30, et cap. Quia propter 42, de Election.* ergo a fortiori poterunt de communi omnium consensu communicare potestatem aliquibus Clericis idoneis, ut secum eligant, ut factum fuisse pro electione Patriarchae Constantinopolitani habetur in cap. *Scriptum est 40, de Election.* (5. Si unus solus de Capitulo, seu Collegio remaneat, et aliis mortuis, privatis, suspensis, interdictis, vel excommunicatis, aut a Societate recedentibus, ille solus poterit eligere alium in Praelatum totius Collegii. Glossa in cap. *Gratum 2, de Postulat. Pralat.* Pirhing. lib. 1, tit. 6, num. 12. Donatus *Prax. Regular.* tom. 2, tract. 2, quaest. 10. cum aliis pluribus, quos allegat, et sequitur Passerin. de *Election.* cap. 10, quaest. 1, num. 8. Collegii enim, seu Universitatis Jus propter casus supervenientiam conservari potest etiam in una persona. Glossa in l. *Neratius*, ff. *de verborum significat.* et l. sicut ad fin. ff. *Quod cujusque univers. non.* et Glossa in cit. cap. *Gratum 2, de Postulat. Pralatorum*, verb. *Pauciores*. Pirhing loc. cit. et alii passim cum Barbosa lib. 1. *Juris Ecclesiast. univers.* cap. 19, num. 46. (6. Non posset tamen ille eligere seipsum, arg. cap. *In Scripturis*

9, caus. 8, quæst. 1, cap. *Cum ad nostram* 7, de *Institut. c. Per nostras* 26, de *Jurepatr.* et Glossa communiter recepta in c. *Cum in jure* 33, de *Elect.* verb. *Ex se, vel aliis.* Vide *art. antecedent.* num. 28, etc. (7. Eligere non possunt, quamvis sint de numero Eligentium: Primo Pupilli, et impuberes, hoc est Minores 14. annis, si sint masculi, vel 12. annis, si sint feminae, quia pleno usu rationis, seu discretionem carent, textu expresso in cap. *Ex eo* 32, de *Election.* in 6. (8. Secundo, ob eandem rationem prohibentur eligere Furiosi, et mente capti, quamdiu durat amentia. Glossa in cit. c. *Ex eo*, verb. *Discretionem.* Tholosan. de *Election.* cap. 8, n. 2. Pirhing. loc. cit. n. 26, et alii passim (1). (9. Tertio, prohibentur eligere Excommunicati excommunicatione majori; c. *Constitutis* 23, de *appell.* et Glossa ibid. verb. *Majoris.* (10. Quarto, eligere non possunt suspensi ab Officio, et Beneficio simul, vel etiam ab Officio tantum; cap. *Cum dilectus* 8, de *Consuetudine*, et Glossa ibid. verb. *A suspensis*, et cap. *Cum inter* 16. § fin. de *Election.* (11. Non prohibentur tamen eligere suspensi a Beneficio tantum; quia isti adhuc

(1) Dubitari posset an unus excommunicatus aliorum electionem irritam reddat? Regula generalis est, quod utile per inutile non vitiatur cap. 37. de *Reg. jur.* in 6. Nihilominus distinguendum est aut certus est eligentium numerus, et tunc cum omnium requiratur consensus, per unius excommunicationem, cum ipsius deficiat consensus, irrita videtur remanere electio: aut nullus præfinitus est eligentium numerus, tunc indistincte valet. Prima tamen distinctionis pars intelligenda est nisi pro parte stet sufficiens eligentium numerus, adeo ut demptis etiam excommunicatis, major numerus ex una parte remaneat. Zoes. in *Decretal.* lib. 1. tit. 6. n. 8. Quod si voluntarie admissi sint excommunicati, tunc nullo modo subsistit. Innocen. in cap. *Illa de electione Abbas* ibid. n. 7. et in cap. fin. n. 6. de *Procurator.* Quid si excommunicatus sit toleratus? Hoc casu probabilior eorum videtur opinio, qui tenent, neminem cum ipso communicare prohiberi, ideoque ejus acta, et electionem sustineri. Navar. in sum. cap. 27. n. 7. Lovar. in cap. *Alma mater de excommunicat.* p. 2. § 7. n. 9. et idem dicendum potiori jure de excommunicato occulto, cum nemo ab errore detrimentum ferre non debeat per l. Barbarinus 5. ff. de *offic. Prætor.* Hoc tamen in Cardinalibus speciale est, ut licet sint excommunicati, nequeant tamen a Summi Pontificis electione repellere. Clementin. lib. 4. tit. 3. cap. 2. § *Cæterum* 4. Quæ sententia anno 1621. fuit a Gregorio XV. confirmata per novam constitutionem. *Æterni Patris*, inter suas juxta Bullar. Typis Mainard. t. 5. part. 4. p. 402. coll. 2. Bulla 41. § 22. usque ad fin. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Ut nihil desiderari possit ad cumulatiorem hujusce argumenti, quod hic eruditissime versat Auctor noster, tractationem, ob oculos quoque habenda erit celebris illa Decretalis: *Si celebrat*, quæ auctorem habet Gregorium IX. Pontificem, relata in Cap. final. de *Cleric. Excommunic. ministrante*, ubi minoris excommunicationis laqueo irretiti, a jure eligendi haud decidere declarantur. « Si celebrat (verba sunt laud. Cap.) ligatus minori Excommunicatione, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione jurisdictionis sibi competunt exercere. » Quamvis enim minoris excommunicationis censura privet participatione Sacramentorum, quæ in sola perceptione consistit, et omni eo, quod

possunt exercere omnia negotia, tam spiritualia, quam temporalia, cum sint suspensi tantum a Jure percipiendi fructus Beneficiales. Glossa in cap. *Cum Vintoniensis*, 25, de *Election.* verb. *Admiserant*, et Abbas ibid. num. 10. Suarez tom. 5, de *Censuris* disp. 27, sect. 2, num. 34. Passerin. loc. cit. num. 91, et sequent. Pirhing loc. cit. num. 30. Reiffenstuel lib. 1, *Decretal.* tit. 6, num. 170, et alii contra Navarrum, et alios. (12. Quinto, eligere non possunt personaliter Interdicti; cit. cap. *Cum inter* 16, de *Elect.* et Communis Doctorum. (13. Sexto, eligere non possunt Irregulares; cap. *Is*, qui 18, § final. de *Sentent. excom.* in 6, ibi: « Qui nec ad eligendum cum aliis debet admitti » et ibi Ancharanus, Silvester verb. *Electio* 1, § 4. Angelus verb. *Electio* num. 8. Azor. *Instit. moral.* part. 2, lib. 6, cap. 5, § 3. num. 48. Reiffenstuel loc. cit. num. 172, et alii. (14. Requiritur tamen, quod isti Irregulares, sicuti et excommunicati, suspensi, et interdicti sint nominatim denunciati, alioquin eligere poterunt juxta *Extravag. ad evitanda* in Conc. Constantiensi a Martino V. editam (2).

ad ipsam pervenitur; uti esset passiva electio ad beneficium, quæ si in personam hujusmodi excommunicatam minori excommunicatione incidet, erit irritanda; ut in *laud. Cap. decernitur*; jus tamen eligendi, omniaque alia quæ meræ jurisdictionis sunt, quæque ratione ipsius iisdem competunt, hujusmodi excommunicatis non aufert. Vide Suarezium de *Censur. disputat.* 24. sect. 2. numer. 4. Cl. Gonzalez. in *Notis ad laud. Cap. Si celebret*, et Pontas verb. *Electio* cas. 5.

Atque hic profecto, pro data opportunitate explicandum nobis occurrit Cap. *Illa quotidiana* 59. de *Elect.* etc. quod Innocentii III Responsum, est, quoque propositæ nostræ doctrinæ refragari videtur. Cuidam electioni quidam interfuerant minori excommunicatione innodati, quam quidem electionem confirmavit auctoritate Apostolica Innocentius III. postquam suæ potestatis plenitudine suppleverat defectum in illa electione enatum ex interventu eorum, qui hujusmodi censura minoris excommunicationis tenebantur; uti patet ex illis verbis: « Supplentes de plenitudine potestatis, si quis in ea ex eo fuisset defectus, quod quidam interfuerant electioni eidem, qui ex sola participatione in simplicis excommunicationis laqueum inciderunt. » Ejusmodi igitur electio jure non subsistebat. At si recte perpendantur verba laud. Cap. nihil hujusmodi inde consequetur, quod propositam nostram doctrinam vel leviter labefactare possit; siquidem id præstat *ex superabundantia, non ex necessitate*; ut qui de illius electionis validitate subdubitare videbantur, cujusvis dubitationis caligine abstersa, eidem suum accommodare consensum nihil penitus formidarent; quando quidem, nihil obstante prædicto defectu, fuérat auctoritate Apostolica confirmata. Quod quidem ex ipsis verbis sat aperte colligitur. Cæterum ipse idem Pontifex testatus est memoratam electionem *canonicam extitisse*, atque juxta Canonum præscripta peractam fuisse. Lege Eximium Suaresium de *Censur. laud. disput.* 24. sect. 2. n. 15. et Gonzalez *Comment. in laud. Cap. Illa Quotidiana.* Secus vero dicendum de iis, qui majoris excommunicationis vinculo sunt irretiti, uti recte docet Cl. Auctor noster; excepta tamen Romani Pontificis electione, de qua peculiariter sancitum occurrit: ut nullus Cardinalium cujuslibet excommunicationis, suspensionis, aut interdicti prætextu a dicta valeat electione repellere. Clementin. Ne

(15. Septimo, eligere prohibentur infames infamia juris. Glossa in c. *Ut circa* 4, de *Election.* in 6, verb. *Eligentium*, Suarez de *Censuris* disp. 48, sect. 3, num. 2. Reiffenstuel loc. cit. num. 173, et alii; dummodo tamen sint infames sententiati, sive declarati, ut notant Donatus in *Prax. Regular.* tom. 2, tract. 5, quæst. 20, num. 5, Passerin. l. cit. cap. 10, num. 145, et alii. (16. Octavo, eligere non possunt ad Dignitates, et Prælaturas Ecclesiasticas Laici sæculares; cap. *Nullus* 1, cap. *Non est* 6, cap. *Non licet* 8, et cap. *Nosse* 12, dist. 63, cap. *Contingit* 8, de *Arbitris*, c. *Decernimus* 2, de *Judiciis*, cap. *Sacrosancta* 15, de *Election.* Et Electio Episcopi per Laicos, etiam cum Canonicis facta, est nulla, non obstante contraria consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela; textu expresso in c. *Massana* 16, de *Election.* (17. Nono, eligere non possunt in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, qui nondum sunt constituti in Ordine Subdiaconatus. Clement. *Ut is*, qui 2, de *Ætat. et qualit. præficiend.* Concil. Trident. sess. 22, cap. 4, de *Reform.* (18. Decimo, qui scienter elegerunt indignum, pro ea vice eligendi potestate privantur, et eorum electio cassatur ipso Jure; cap. *Cum in cunctis* 7, § *Clerici*, cap. *Cum Vintoniensis* 25, c. *Scriptura* 40, de *Election.* et cap. *Perpetuo* 7, eodem in 6 (1). (19. Undecimo, qui per abusum Potestatis sæcularis elegerunt, ipso Jure privati sunt potestate eligendi; cap. *Quisquis* 43, de *Election.* (20. Duodecimo, eligere pro illa vice non possunt, qui intra tempus statutum eligere neglexerunt; cap. *Ne pro defectu* 41, de *Election.* cap. *Quamquam* 18, eod. in 6.

(21. Eligi solum possunt, qui habent qualitates a Jure requisitas, et præcipue litterarum scientiam, ætatis maturitatem, et morum honestatem; c. *Cum in cunctis* 7, § 1, de *Election.* (22. Scientia est triplex, scilicet eminens, mediocris, et sufficiens. Scientia eminens est illa, per quam quis statim, et prompte absque revolutione librorum scit casus etiam difficiles, et subtiles resolvere. Scientia mediocris est illa, per quam quis resolvit quidem casus etiam difficiles, at non statim, et prompte, sed cum tempore, et revolutione librorum. Scientia sufficiens est illa, per quam quis sufficienter explorare potest ea, quæ suum munerem incumbunt. (23. Et hæc scientia sufficiens mensuranda est juxta qualitatem loci, ubi eligendus habet vivere et juxta qualitatem Officii, et Ecclesiæ ad quam debet quis eligi; arg. c. in *causis* 30, § fin. de *Elect.* (24. In eligendis ad Prælaturas, atque Officia Ecclesiastica quamvis desideranda sit scientia eminens, adhuc tamen mediocris, immo et sufficiens toleratur: cap.

Romani 5. § *Cæterum. De elect.* Vide laud. Suarez. loc. cit. n. 19. et Gonzalez *Comment. in laud. Cap. Illa quotidiana.*

(1) Quin ignorantiam allegare valeant ubi enim quis indignus ab aliquo detegitur electus, ab eodem id scienter factum præsumitur Zoes. in *Decretal.* lib. 1. tit. 6. n. 19. licet contrarium sentire in alio casu videatur. Molin. de *Primogenit.* lib. 2. cap. 4. num. 48. eo quia nemo præsumendus sit in dolo esse.

Cum nobis 19, de *Elect.* et cap. *Nisi cum priorem* 10, § *Pro defectu, de Renuntiatione*, ubi sic expresse habetur: « Quamquam etsi desideranda sit eminens scientia in Pastore, in eo tamen sit competens toleranda, quia secundum Apostolum scientia instat Caritas autem ædificat, et ideo imperfectum scientiæ potest supplere perfectio Caritatis. » (25. Quoad ætatis maturitatem; Vide verb. *Ætas*: et quo ad morum honestatem patebit ex mox adducendis, qui defectu morum, et honestatis, aliarumque qualitatum non possunt eligi.

(26. Eligi non possunt: Primo, Infames tam Infamia juris, quam Infamia facti; cap. *Qui in aliquo crimine* 5. dist. 51. c. *Infames* 17. caus. 6. q. 1. ubi postquam dictum fuit, fures, sacrilegos, incestuosos, homicidas, perjuros, raptos, maleficos, adulteros, et alios ibidem enumeratos de jure infames esse, subjungit textus: « Hi omnes, inquam, nec ad sacros Gradus debent provehi; » et cap. *Infamibus* 87. de *Regulis Juris* in 6. ibi « Infamibus portæ non pateant dignitatum. » (27. Hoc tamen procedit solum de infamibus sententiatis, sive declaratis, ut advertunt Donatus in *Praxi rerum Regul.* tom. 2. tract. 5. quæst. 10. num. 3. Passerin. loc. cit. c. 10. num. 145. Reiffenstuel loc. cit. num. 227. arg. cap. *Ex tenore* 4. et cap. *Quæsitum* 17. de *temporib. Ordinat.* et arg. cap. *Licet Episcopus* 23, de *Præbend.* in 6. et cap. *Cum secundum* 19. de *Hæretic.* in 6. (28. Secundo, eligi non possunt Excommunicati Excommunicatione majori; c. *Postulastis* 7, de *Cleric. Excommunic. ministr.* et concordat c. *Si celeb.* 10, eod. tit. et c. *Cum dilectus* 8, de *Consuet.* (29. Nullus quoque minori Excommunicatione ligatus est eligendus, et quamvis electio de tali scienter facta, non sit ipso jure irrita, est tamen per sententiam Judicis irritanda, textu expresso in cit. cap. *Si celebrat*, 10, de *Cleric. Excommun. ministr.* ibi: « Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda. » (30. Tertio, eligi non possunt suspensi, sive a Jure, sive ab homine; c. *Cum Dilectus* 8, de *Consuetud.* c. *Cum inter* 16, de *Election.* (31. Quarto, eligi non possunt personaliter Interdicti, c. *Ad hoc* 1, de *Postulat. prælat.* cap. *Inter* 16, de *Elect.* c. *Is qui* 19, de *Sentent. excom.* in 6. (32. Quinto, eligi non possunt Irregulares, cit. cap. *Is qui* 18, de *sent. excommun.* in 6, et concordat c. *Præcipimus* 10, dist. 34, et c. *Non confidat* 59, dist. 50.

(33. Sexto, qui semel ob vitium personæ sunt rejecti, non possunt amplius eligi, nisi sint specialiter restituti; c. *Super eo* 12, de *Election.* (34. Septimo, eligi non possunt ad Dignitates, et Prælaturas Regulares penitentiat a S. Officio, quamvis penitentias compleverint, ut constat ex sequenti Decreto

Ulterius taliter indignum eligentes iis privantur per triennium beneficiis in ea Ecclesia, quam tali electione offenderunt cap. *Eum in cunctis* 7. § *Clerici* 5. de *Electione*, et *Elect. potest.* « Clerici sanes in contra formam istam quemquam elegerint et eligendi tunc potestate privatos, et ab Ecclesiasticis beneficiis noverint triennio se suspensos. » (EDIT. BARBIELL.)

edito 1 oct. 1626. « in Generali Congr. S. R. et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. Urbano Divina Providentia Papa VIII. et Illustrissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in universa Republica adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus a S. Sede specialiter deputatis, Sanctissimus D. N. iustis de causis animum suum moventibus decrevit, et statuit, ut in posterum Regulares omnes eujuscumque Ordinis, Religionis, Societatis, et instituti, quibus pro delictis ad S. Inquisitionis Officium spectantibus pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, et officia inkabiles conseantur, et deinceps (etiãmsi pœnitentiæ tempus expleverint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoveri nullatenus possint, nisi prius obtenta a S. D. N. vel ab hac Sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda, speciali et expressa rehabilitatione; alias promotio quælibet nulla sit, et promoventes ipsi privationem suorum Officiorum, ac præterea vocis activæ, et passivæ ipso facto incurrant, ad quæ restitui nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem Sac. Congr. coram Sanctitate sua habenda non possint. Præsens autem Decretum omnibus Religionum Superioribus intimari mandavit idem S. D. N. »

THOMAS de FEDERICIS, S. R. ac Universalis Inquisitionis Notarius substitutus.

(35. Hinc nequit eligi ad Prælaturas Regularis ille, qui abjuravit in Sancto Officio, etiãmsi de levi; Regulares enim, quibus aliqua pœna imposita est a Sancto Officio, salutaribus tamen pœnitentiis exceptis, ex cit. Decr. Urb. VIII. redduntur inhabiles ad omnes gradus et Officia; abjuratio autem, etiãmsi sit de levi, est pœna, quæ per sententiam debet fieri, ut constat ex stylo Generalis et Universalis Sanctissimæ Inquisitionis Urbis, ut testantur Carena, tract. de Officio SS. Inquisitionis part. 3. tract. de Abjurat. § 4. num. 11. Pegna. Com. 41. 3. part. Director. Inquisit. sub tit. de quinto modo terminandi processum num. 166. lit. D. Diana par. 4. tract. de Of. et potest. Inquisit. resol. 64.

(36. Septimo, eligi non possunt Hæretici, textu expresso in cap. Quicumque 2 § Hæretici, de Hæreticis in 6. ibi: « Hæretici autem, Credentes, Receptatores, Defensores, et Fautores eorum, ipsorumque Filii usque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu Officium publicum admittantur: quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, et inane. » (37. Sic nec etiãmsi Schismatici; arg. c. Quia diligentia 5, de Elect. ubi electio Schismatici ad unionem Ecclesiæ redeuntis dispensative solum permittitur confirmari; Abbas

(1) Controversum est inter Doctores an habens filios sive legitimos sive illegitimos possit ad Ecclesiasticas dignitates promoveri. Utranque opinionem ex-

ibid. n. 1. Barbosa ib. n. 2, et alii passim. (38. Octavo, eligi non possunt in Episcopos Neophyti; c. Prohibentur 2, dist. 48, ibi: « Prohibentur autem Neophyti in Episcopos ordinari, ut qui heri erat Catechumenus, hodie non fiat Episcopus, qui heri erat in Theatro, hodie non sedeat in Ecclesia, qui vespere erat in Circo, hodie non ministret Altari; qui dudum fuerat fautor histrionum, hodie non sit consecrator Virginum. Causa autem hujus prohibitionis est secundum Apostolum, ne elatus in superbiam, tamquam Religio Christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam Diaboli. » (39. Nono eligi non possunt spurii, et illegitimi; c. Cum in cunctis 7, de Elect. et ibi Glossa communiter recepta verb. Matrimonio. (40. Decimo, eligi non possunt Laici, qui enim nec dum sunt Tonsurati, sunt inhabiles ad quodlibet Beneficium, ita ut nec sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari; arg. c. Ex literis 6, de Transaction. et notat Glossa fin. et Abbas ibid. Aliter electio facta in personam Laici nondum Tonsurati, ipso jure est nulla, cum Laicus sit incapax omnis juris Ecclesiastici, c. Causam 7, de Præscriptionib. c. Cum adeo 17, de Rescriptis, c. Contingit 8, de Arbitris, c. Decernimus 2, de Judiciis, c. In Ecclesia 2, de Institution. (41. Undecimo, eligi non possunt Bigami, servi, et hujusmodi; arg. c. Infames 17, caus. 6, g. 1, ibi enim tales, aliique similes prohibentur promoveri ad sacros Ordines, unde a fortiori debent prohiberi promoveri ad Ecclesiasticas Dignitates, et Prælaturas (1).

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(42. De materia hujus articuli late æque egregie disserit Louvrex Dissert. Canon. 5, per tot. Eum, ubi res postulat, consule. Hic vero non est prætereundum, quod Canonici tum Cathedralium, tum Collegiarum, tametsi sint de capitulo, non aliter jus eligendi habent, quam si in sacris sint constituti, ut sancitum est in c. Ex eo § An Ecclesiis, de Elect. in 6, et in Clementina Ut ii, de Ætat. et qualit. et innovatum est a Concilio Trid. sess. 22, c. 4, de Reform.

(43. Nota vero, quod necesse haud est, ut de tempore vacationis Beneficii Canonici in sacris sint constituti, sed satis est, si de tempore electionis constituti sint in sacris. (44. Idque etiãmsi ex dispensatione Pontificia ordinati sint ante ætatem ordinariam; Louvrex Diss. Canon. 5, n. 8, et seq. Barb. de Canon. c. 36, n. 3. Tambur. de Jur. Abb. tom. 1, disp. 5, quæst. 8.

(45. Utrum vero jus eligendi habeat Canonicus proprietarius, an vero Canonicus possessor; (46. tum an jus eligendi habeat Canonicus post Canonicatus resignationem, vel vacante Canonicatu per alterius incompatibilis assecutionem, expendit Louvrex dict. Dissert. Canon. 5, a num. 10, ad plur. sequent.

pendit. Zoes. in Decretal. lib. 1. tit. 7. n. 38, et 39 et non efficere concludit. (EDIT. BARBIEL.)

(47. Pacifica haud est opinio Auctoris n. 13, et seq. quod interdicti, et irregulares haud possint eligere. Consule inter alios Zoes. in Decr. lib. 1, tit. 6, n. 16, et seq. (48. Pro opinione vero Auctoris est Passer. de Elect. c. 10, n. 99, et plur. seq.

(49. Admissio excommunicati ad eligendum, an irritam reddat electionem, vide apud Zoes. Decretal. dict. lib. 1, tit. 6, n. 8, et seq.

ARTICULUS III.

Electio quoad ea quæ concernunt electores.

(1. Electores habentes legitimum jus ad suffragandum, sive sint absentes, sive præsentis, vocandi sunt ad electionem novi Prælati: c. Cum inter universas 18, c. Coram Dilecto 35, et c. Quia propter 42, de Election. (2. Si tamen sint nimis distantes, non sunt de necesse vocandi; cap. Cum inter universas, ibi: (3. « Quamvis Ecclesiastica Constitutio non exigit, ut ad electionem Pastoris, Canonici tam remoti vocentur. » Quænam autem requiratur distantia sufficiens pro ipsis non vocandis standum est specialibus consuetudinibus, et Constitutionibus, ut colligitur ex cap. Quod sicut 23, de Elect. et sufficit ut commode vocari non possit, sive sit in Provincia, sive extra; ad finem enim citandi absentes sola commoditas attendenda est, juxta cit. cap. Quod sicut, et c. cit. Quia propter. Donat. in Prae. rer. Regul. tom. 2, tract. 4, q. 13, n. 1. (4. Electores vocati non possunt cogi ad interessendum, nisi agatur de magno præjudicio Ecclesiæ; cit. c. Quod sicut; et cit. c. Quia propter 42, de Elect. ibi: « Qui debent et volunt, et possunt commode interesse. » (5. Electores absentes, et legitime impediti possunt eligere per Procuratorem, textu expresso in cit. c. Quia propter 42, de Elect. ibi: « Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio Procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco de quo debeat advocari, juxta impedimento detentus venire non possit; super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento, et tunc si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam. » Et clarius habetur in cap. Si quis 46, de Elect. in 6, ibi: « Si quis justo impedimento detentus in electionis negotio nequeat commode interesse, potest nedum uni, prout dicitur in Concilio Generali, » (id est in cit. cap. Quia propter) « sed et pluribus committere suas vices, dum tamen eorum cuilibet det in solidum potestatem, et erit tunc melior conditio occupantis. Verum si ambo concurrant insimul, et postulent se admitti, audiri eos non expedit, quia possent vota sua dirigere in diversos, sicque res non haberet exitum, et quod ab eis hoc casu fieret, non valeret, sed is admit-

(1) Dum Auctor dicit, posse electores absentes, et legitime impeditos eligere per Procuratorem, id sic est intelligendum, ut possint quidem absentium suffragia per aliquos ab ipsis electoribus absentibus, vel ab ipso Capitulo destinatos suppleri, si id liceat per Constitutiones talis Ordinis a S. Sede approbatas; minime vero ut suppleri possint vel a Præsidente electionis vel a Capitulo propria auctoritate. Vetitum

tatur dumtaxat, quem Capitulum, vel pars major elegerit; vel si concordare nequeant, is qui primo in Instrumento, vel Litteris procurationis extiterit nominatus, etc. » (6. Si nemo velit hanc procurationem recipere, non potest Elector absens eligere per Epistolam, textu expresso in cit. c. Si quis 46, de Elect. in 6, § Absens, ibi. « Absens quoque (licet nullus de Collegio velit esse Procurator ejusdem, nec ipse, nolente Capitulo, extraneum valeat deputare) non poterit aliquatenus per litteras exprimere votum suum, quod non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secreta, et sigillatim tantummodo exprimendum. » Vide tamen quæ tradita sunt in verb. Absens, art. 1, n. 8, 9 (1).

(7. Electores tenentur sub gravi investigare de idoneitate personæ eligendæ; cap. Cum in cunctis 7, de Elect. Negligendo enim talem inquisitionem, seu investigationem in re gravi delinquant; cap. Ea quæ 3, de Officio Archidiacon. cap. Nulli 1, dist. 19, c. Dictum 18, dist. 8, dum ratione officii, contractus, vel quasi contractus tenentur præcavere ne eligantur indigni, aut minus idonei cum nimio præjudicio Ecclesiæ, et animarum ad ejus regimen assumuntur. (8. Hinc electores eligentes indignum, id est cui desunt qualitates ad sic promovendos de jure requisitas, ultra peccatum mortale quod incurrunt, ipso jure privati existunt pro una vice potestate eligendi, textu expresso in cit. c. Cum in cunctis 7, de Elect. § fin. ibi: « Eligendi tunc potestate privatos se noverint; » et concordat cap. Cum Vintoniensis 25, et cap. Scriptum est 40, de Election. (9. Hæc autem pœna privationis potestatis eligendi non incurritur, nisi sequatur communis electio indigni, quamvis semper peccetur mortaliter dando scienter suffragium indigno, textu expresso in c. Perpetuo 7, de Election. in 6. ibi: « Declaramus quod scienter in electionibus nominantes indignum, propter suffragium in scrutinio præstitum (nisi adeo in eo perstiterint, quod ex votis eorum communis electio subsequatur) nequaquam eligendi potestate priventur, licet pro eo, quod indignum nominando, scienter contra conscientias suas agunt, et divinam vindictam, et Apostolicæ ultionis metum, quem qualitas facti suaserit, possint non immerito formidare. »

(10. Eligens indignum, et asserens se id ignoranter fecisse, cogitur probare ignorantiam; arg. cap. Innotuit 20, de Elect. ubi Pontifex eligentibus indignum, solum ex gratia remisit, quod non cogentur probare ignorantiam quam allegabant; et notat ibidem Glossa verbo Ignorantiam, et Abbas n. 7. Non enim potest præsumi rationabiliter ignorantiam de qualitatibus eligendi in Ele-

namque hoc esse aperte colligitur ex Sacra Congregationis Decreto 5. Decembris 1644, quod ex Pignatell. refert Matthæucci cap. 18, Officialis n. 19. Sacra Congregatio « censuit cavendum, ne deinceps Titulares constituantur ad effectum electionis faciendæ, aut voces et suffragia absentium suppleantur: » quod in sensu exposito intelligunt laudati Pignatell. et Matthæuc. (NOT. ROM. THEOL.)